



M E L I S S A


EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa multa narrat ...



- | | |
|---|---------|
| ... et de aquaeductu Segoviensi | ☞ p. 2 |
| ... et de instrumento quodam bellico Medii Aevi | ☞ p. 5 |
| ... et de Stravinscio musico Latino | ☞ p. 8 |
| ... et de patinatorio et extraordinario certamine Batavico | ☞ p. 11 |
| ... et de musis Latinis | ☞ p. 14 |
| ... et de propagatione Latinitatis | ☞ p. 15 |
| ... et de seminariis participandis | ☞ p. 16 |
| ... tam multa, ut spatium deficiat! Itaque quartam symbolam,
quam de moribus antiquis exspectatis, invenietis in proximo
fasciculo... una cum multis aliis rebus. | |

DE AQUAEDUCTUS SEGOVIENSIS INSCRIPTIONE ITERUM RESTITUTA

SCRIPSIT JOSEPHUS M. SANCTIUS-MARTINUS

Intra praestantiora Hispaniae Romanae uestigia urbis Segouiae aquaeductus iure meritoque numeratur. Haec urbs Celtiberica quae Vaccaeorum caput ante dominationem Romanam fuerat inde a saeculo primo a. Ch. n. per pulchris monumentis ornata est. Prope eam anno 346 Theodosius Caesar qui Magnus uocabatur natus est.

Aquaeductus autem unus e maioribus qui in toto orbe Romano exstructi sunt adhuc optime seruatur. CXI arcus magnis quadratis saxis nullo mortario coniunctis per plus quam tria milia passuum in longitudinem patent. In parte uero superiore canali quodam est praeditus ad aquarum ductionem e collibus proximis in Urbem commode efficiendam. Etiamnunc nonnullis mutationibus technicis confectis pristinus usus non plane derelictus est.

Temporis decursu huius mirifici operis origo non omnibus prorsus patebat. Primus enim scriptor Hispanorum, qui de aquaeductus constructione scripsérunt, fuit Rodericus Ximenez de Rada, uir historicus itemque saeculo XII exeunte Toletanus Archiepiscopus. In opere eius Latine conscripto quod *De rebus Hispaniae* inscribitur rex mythicus cui nomen Hispanus huius operis conditor exstructorque fabulose memorabatur¹.

Etiam Medii Aei temporibus fabula quaedam mira uulgo tradebatur de huius operis constructione quod tum «Pons Diaboli» uocitabatur. Diabolus formosissimam puellam Segoviensem quondam casu uidisse qua perspecta captus statim amore dicebatur. Ille igitur machinatione quadam adhibita eius animam sibi comparare decreuit. Huius propositi difficultas magna non fuit cum illa esset famula et quotidie summa molestia in montes ad aquam quaerendam esset ei ambulandum. Laboris sui quotidiani remedium a Diabolo sibi propositum iri optimum esse inepte censuit puella eique animam suam hac una condicione imposita promisit: tanti laboris ante proximi diei solis ortum se habere uelle remedium.

Diabolus laetus per totam noctem ad aquaeductum exstruendum indefesse laborauit. Eius laboris strepitus magnus quominus puella dormiret prohibuit illamque foedus diabolicum fecisse paenituit. Tunc Beatam Virginem pie

deprecata est ut peccato parceret. Quae quidem eius miserata solem paulo matruis oriri iussit. Sic praus Diabolus post magnos sudores opus perficere non ualuit ualdeque deceptus urbem effugere coactus est.

Aliae huiusmodi fabulae postea etiam fictae sunt nam monumenti amissa inscriptione eius ueri auctores in obliuionem delapsi sunt. Teste autem Iohanne de Valdes, humanista praeclaro, saeculo sexto decimo ineunte nonnullae inscriptionis litterae adhuc in aquaeductus fronte exstabant.²

Ex illo tempore nihil nisi nonnulla foramina in saxis perfossa manserunt. Periti autem rei epigraphicae pristina tituli uerba pluries frustra restituere conati sunt. Nunc tandem ueteris inscriptionis mysterium uidetur esse patefactum.


Praeterito enim mense Septembri exeunte archaeologus Germanus Géza Alföldy ex Uniuersitate Studiorum Heidelbergensi, inter conuentum annum Fundationis Humboldtianae Matrii habitum huius restitutionis methodum rationemque scientificam palam explanauit. Anno 1992º uir doctus Alföldy hoc perarduum incepit suscipiendum statuit. Iam pridem his laboribus deditus magna in inscriptionibus antiquorum monumentorum interpretandis fuit ei experientia. Praeter alia titulum nuncupatorium antiqui amphitheatri Flauii seu Colossei Romani prospero cum successu restituit. Insuper, maximo fuit ei emolumento quod Institutum Archaeologicum Germanicum ingentem pecuniae summam pro expensis ad perscrutationes conuenienter efficiendas ei praebuit.

Attamen maximae fortasse huius generis inscriptioni totius Hispaniae difficultates etiam maximas non deesse Alföldy statim animaduertit. Primum impedimentum quod huius inscriptionis arcanum diutius celauit fuit altitudo, nam ordo centralis huius aquaeductus ubi olim litterae aeneae adfixae erant altitudine XX metrorum patet. Propter hanc causam nulla fuit umquam imago uel photographema quae formam, altitudinem distantiamque foraminum ubi litterae clavo quondam defixaerant accurate ostenderet. Ceteri autem qui antea de litteris perditis cogitauerant tantum a fundamentis in aquaeductus frontem oculorum acie aegre



operoseque prospexerunt.

Haec cum ita essent uir doctus Alföldy una cum Petro Witte photographo eiusdem Instituti Archaeologici in carchesio mechanico uersatili iuxta aquaeductum adposito per duos dies suspensus mansit. Ibi mensis Iulii aestuosissima tempestate minante sub Castellae caeli clarissima luce quotidie per denas horas foramina diligentissime erant describenda, mensurae iterum iterumque singillatim comprobandae et, ut ipse Alföldy inter iocos enarrabat, «lapides fere lambendi».



carchesium mechanicum (in Museo Escorialensi)

Sed improbus labor fuit operae pretium. Omnibus rebus dispectis atque perpensis noua foramina quae a terra adspici non poterant inuenta sunt. Alia uero quae clauorum foramina antea uidebantur siue lapicidarum forcipum (vide p. 4) uestigiis siue umbrarum effectibus tribui potuerunt. Ex interuallis autem inter uera foramina pristinarum litterarum mensuras Alföldy inferre ualuit, quae erant XXXII uel XXXV centimetrorum in altitudinem et circiter XV in latitudinem. Deinde litterarum exemplaria chartacea erant efficienda supraque foramina descripta conuenienter imponenda ut eorum locum iterum litterae occuparent.

Tunc noua difficultas exorta est cum nonnullis in locis eaedem litterae diuerso paxillorum seu clauorum numero adfixas fuisse uiderentur. Tamen hac in re duplicitas inscriptionis maximo fuit adiumento. Nam feliciter non eadem est foraminum dispositio in fronte atque in parte aqueductus posteriore ubi eundem titulum inscriptum fuisse constat. A fronte enim CCIV exstant foramina, a tergo uero tantummodo CC. Omnia foramina litteris operire chartaceis opus erat. Hoc modo uerborum restitutio quodammodo «ludus litterarum» facta est, sed regulis logicis inquisitorisque experientiae prorsus subiectus.

Imprimis hoc in constructionum genere nomen illius illorumue qui opus exstrui iusserant, deinde constructionis nomen, denique utrum exstructio esset noua an tantum refectione seu restauratio, in titulis solebat indicari. Haec ergo quae propter scientiam experientiamque exspectanda erant etiam in inscriptione nostra Alföldy reperire conatus est.

Ab ultima quidem breuioreque linea restitutionem incepit ubi totius sententiae uerbum temporale inueniebatur. Hoc enim uerbum, scilicet RESTITVERVNT, refectionem aqueductum potius quam exstructionem aperte ostendit. Postea uero huius uerbi obiectum quod dicitur grammaticale quaerendum erat. Inter duo nunc uocabula praebebatur eligendi facultas: aqueductum uidelicet et aquam. Prima quidem uox huic conexu nimis longa minusque apta reiicienda erat.

Primis enim titulorum uerbis exstructionis aetas significari solet. Hoc in casu ex effossionibus archaeologicis nuper prope aqueductum factis hoc monumentum primo saeculo post Christum natum Flauis imperatoribus imperitantibus (ann. 81-117) exstructum fuisse constat. Ex illis autem Traiani Caesaris nomina titulosque foraminum dispositioni aptissima uidebantur.

Reliqua autem secundae lineae uerba inuentu fuerunt faciliora cum paene omnia iam aliis ex titulis comperta essent et propter clauorum seu paxillorum dispositionem aequa nota. Ceterum inscriptionis omnia uerba regulis epigraphiae Latinae translaticiis congruere eorumque compendia saepissime adhibita demonstratum est. Inscriptio igitur iussu Traiani Caesaris autumno anni duodecentesimi p. Ch. n. ad refectionem memorandam posita est.

Sed hoc inscriptionis arcano nunc tandem detecto, nouum mysterium nobis occurere uidebatur, nam si Traianus tantum refectionem efficiendam curauit, quis ergo ipsam exstructionem fieri iussit? Cum nullae aliae aqueductus pristinae inscriptionis reliquiae exstant, huic quaestioni Alföldy duas explanations easque pariter uerisimiles praebet.

Prima enim earum Domitianum Caesarem


aquaeductum primum exstrui iussisse affirmat sed paulo post illa pars ubi pristina inscriptio patebat collapsa est ruina. Tunc Traianus primo imperii sui anno opus reficiendum suscepit.

Secunda autem explanatio intricior uidetur esse. Domitiano imperante aquaeductus exstructus est, sed opera tantum anno nonagesimo sexto perfecta sunt. Deerat tamen adhuc inscriptio quae tantummodo in dicatione seu «inauguratione», ut ita dicam, officiali aedificiis imponi solet. Domitianus uero autumno eiusdem anni nonagesimi sexti inopinatae occisus est. Decernitur statim huius imperatoris damnatio memoriae quare eius nominis inscriptio publicis in documentis prorsus uetabatur. Tum ergo primus titulus deasciatus est. Sub breui Neruae imperio usque ad mensem Ianuarii anni duodecentesimi aquaeductus Segouiensis titulo ullo expers manet. Tandem ipse Traianus feliciter regnans eum apponi iussit.

Sed utcumque sese ea res habuit pro certo nunc scire possumus Traianum primum aquaeductus exstructorem omnino non fuisse ut semper usque nunc et legimus et in scholis didicimus.

Plurimas igitur gratias professori Alföldy sunt agendae quippe qui magno cum sudore pro scientia sua et historica et philologica non solum inscriptionem quandam sed etiam historiae nostrae fragmentum nobis restituerit. Attamen fatendum est nos Hispanos hoc nomine dignos aliquatenus dolere quod uir doctus Germanus pecuniaque Germanica perficere potuit quod ipsi Hispani non ualuerunt. Nisi rei publicae nostrae moderatores prorsus aliter se gerunt, nisi studia praesertim Latina quae numquam fuerunt abolenda in scholis studiorumque uniuersitatibus iterum imponuntur, uerendum est ne sint semper in posterum peregrini qui nos cultum ciuilem historiamque nostram docere debeant.

En uobis antiquae inscriptionis textus a Professore Alföldy feliciter restitutus:



forceps
(Photographemata Wolfgangi Jenniges)

ADNOTATIONES

¹ Cf. lib. I, cap. VII: «... ciuitatem iuxta iugum Dorii (i.e. fluminis Durii) aedificauit in loco subiecto promontorio quod dicitur Couia et quia secus Couiam sita Secouiam nuncupatur ubi aquaeductum construxit qui miro opere aquarum iniectionibus famulatur». Nominis oppidi ueriloquium siue etymologiam doctissimum archiepiscopum - exemplum collegae popularisque sui fortasse secutum - non tam bene perspexisse animaduertendum est. Ficta est igitur interpretatio eaque paene «Isidoriana» uocabuli «Segouiae» quod e radice Celtica seg-/sec- fluxisse, qua fere «potentia, diuitiae» significantur, hodie pro certo habemus.

² Cf. *Diálogo de la lengua* (1535), cap. XIII «...como sería error decir que el conducto del agua que está en Segovia, que llaman puente, fue hecho por Hispan, sobrino de Hércules, habiéndole hecho los romanos, como consta por algunas letras que el día de hoy se ven...» i. e. errant enim qui aqueductum Segoviensem qui pons uocatur, ab Hispano Herculis nepote exstructum esse adfirmant, cum Romanorum sit opus, ut e litteris quae etiamnunc adspiciuntur manifeste animaduertitur. ☐

IMP(eratoris) · NERVAE · TRAIANI · CAES(aris) · AVG(usti) · GERM(anici) ·
P(ontificis) · M(aximi) · TR(ibunicia) · P(otestate) · II · CO(n)s(ul) · II · PATRIS ·
PATRIAЕ · IVSSV/P(ublius) · MVMMIVS · NVMMIANVS · ET · P(ublius) ·
FABIVS · TAVRVS · IIVIRI · MVNIC(ipii) · FL(auii) ·
SEGOVIENSIVM/AQVAM · RESTITVERVNT




DE CATAPULTA SACOMARIA

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE



Quis nostrorum aequalium recordatur machinam bellicam mediaevalem, cui nomen Francogallicum est «trébuchet»?¹ Hoc vocabulum certe invenitur in usualibus lexicis Francogallicis recenter editis, sed duae tantum significaciones ei tribuuntur, quae sunt «pedica» (instrumentum idoneum ad aves captandas) et «trutina» (instrumentum aptum ad pensandum). Sed si lexica sive vetustiora sive ampliora inspicimus, ibi tertia significatio invenitur, quae pertinet ad «instrumentum bellicum mediaevale, quo saxa in muros obsessorum oppidorum mittuntur».




Hoc instrumentum videtur parum notum esse in Europa occidentali, probabiliter quia ibi sero fuit in usu, i.e. sub finem Medii Aevi. In itinere quod mense Septembri a. 1996 in Italiā feci, mihi licuit oppidum «Verucchio» invisere, unde prospectus patet in praeruptum montem Marinianum (v. San Marino). In summo oppido Verucchio stirps Malatesta nomine arcem exstruendam curavit, quae iam diu corruit; tamen ruinae adhuc non solum visu dignae sunt, sed etiam continent pulchrum exemplar minutum integræ arcis. Arx ostenditur obsessa: ante muros impugnantes disposuerunt et primitivas bombardas et complura instrumenta bellica generis de quo agitur in hac symbola. Quod instrumentum Latine videtur esse nuncupandum «catapulta sācōmāria» potius quam «trebuchetum», ut legitur in lexico Du Cange.

Catapulta sacomaria videtur oriunda esse e Sinis. Inde eius usus lente migravit usque ad ripas orientales maris Mediterranei, ubi dicitur


adhibita esse a VI saeculo p.C.n. Arabes et Mongoli, qui solum erant equites, deducebant ingenarios Sinenses vel Arabes ad instrumenta bellica exstruenda et disponenda. Catapultae sacomariae, quae praesertim adhibebantur ad oppidorum moenia caedenda, ab exeunte XII saeculo etiam cooptae sunt instruiri in ipsis moenibus ad oppida defendenda. Exempla inter alia ostenduntur Damasci et Caire, ubi moenibus tunc adiunctae sunt latissimae turres, quarum domata circiter 30 metra quadrata ampla instruebantur magnis catapultis sacomariis.

Antiqueae catapultae sive onagri vi tortorum funium mittebant globos infra triginta chiliogrammata pondere. Plerique globi erant quindecim circiter chiliogrammatum, ut legitur apud Philonem Byzantium. Quae tormenta, si 160 metris a moenibus instruebantur, munitiones parum laedebant. Sacomariae autem catapultae multo maiora pondera mitterant, et longius.

Infeliciter vix inveniuntur descriptiones earum apud auctores Europaeos. Unus fuisset, nomine Conradus Kyeser Bellifortis, qui tractatum de hac re incohaverat; sed ille anno 1405 mortuus est, antequam opus perficere potuit; quare accurata



Arx urbis Caire (XIX saec.)



machinae descriptio ibi non invenitur. Igitur nos convertamus oportet ad litteras Arabicas, inter quas praecellit tractatus technicus c.t. «Kitab aniq fi almanajaniq» (= liber excellens de catapultis sacomariis) a. 1462 editus a Yusuf Ibn Urubugha Al-Zaradkash.

Structura fundamentalis huius machinae bellicae est vectis cuius duae partes inaequales versantur circum axem.



Missile ponitur in extrema longiore parte; nam, quo longior est haec pars vectis, eo maiorem velocitatem acquiret missilis. Iam in vectis aequilibrio, i.e. sine motu, necesse est vis gravior sit quam missile in ratione reciproca distantiarum ab axe B ($A \times AB = C \times BC$). Cum id necessarium sit ut longior pars vectis sursum moveatur, oportet vis eo magis augeatur, quo vehementius missile impellendum est. In imperfecto opere Conradi Bellifortis delineata est magna catapulta sacomaria, ubi longior pars vectis est 14 metra longa et brevior 2,4 metra.

Initiis tamen hae machinae minores erant atque vis movens constabat e nonnullis viris, qui funibus deorsum vehemente trahebant extremam breviorem vectis partem. Postea, ad machinae potentiam augendam, in extrema breviore parte instructum est ponderosum libramentum. Fuerunt etiam machinae in quibus libramentum et viri trahentes (usque 250 homines) coniungebant vim gravitatis cum vi humana ad maiorem potentiam obtinendam.

Machinarum libramenta pendebant usque complura dena milia chiliogrammatum. Machinae libramento praeditae solebant onera ducentorum trecentorumve chiliogrammatum mittere. Potentissimae machinae mittebant, ut fama fert, pondera ultra mille chiliogrammata. In Anglia una machina huius generis nuper exstructa est ad rem experiendam; quae libramento triginta tonnarum (= 30.000 chiliogrammatum) praedita mittere potuit pondus circiter quingentorum chiliogrammatum usque ad octoginta metra.

Decursu temporum ingeniarii has machinas bellicas continue melioraverunt. Imprimis funda instructa est in extrema longiore vectis parte. Hoc modo augetur radius orbitae, secundum quam missilis movetur; hac ipsa de causa maior fit missilis velocitas. Longitudo iactus missilis accurate aptari potest ad necessitates proelii, solum mutando fundae longitudinem. Fundae ergo, cum longiores factae essent, disponebantur

in alveo sub vecte, ubi earum longitudine facile poterat mutari. Quare non solum hae machinae bellicae potentiores erant quam ceterae, sed etiam scopos accuratius attingere poterant. Hoc nuper demonstratum est in Dania, ubi indagatores catapultam sacomariam mediocris magnitudinis exstruxerunt, cuius missilia ictu 180 metrorum ceciderunt in aream tantum sex metra latam.

Pristini ingeniarii excogitaverunt ultimam machinae meliorationem: libramentum rigide ad vectem iam non destinaverunt, sed iuncturam versatilem interposuerunt, qua augebatur vis gravitatis. Haec iunctura etiam habebat hoc emolumentum, quod vectem retinebat statim ac verticalis factus erat. Inde minus timendum erat ne machinae materiatio distraheretur.


Ex his supra narratis patet catapultas sacomarias factas esse machinas valde elaboratas. Non mirum ergo si earum technica adiuvit progressus theoreticos scientiae mechanicae, quales e.g. inveniuntur ineunte XIII saeculo apud Iordanum Nemorarium.

Tanta erat catapultarum sacomiarum efficacitas, ut per duo saecula una cum bombardis manerent in usu. Eorum usus tamen relictus est, cum bombardae loco globorum lapideorum coepissent mittere metallicos globos.

Scitu dignum est catapultas sacomarias per occasionem misisse onera singularia. Narratur exempli gratia exercitus Mongolorum, cum medio XIV saeculo oppidum obsideret in Chersoneso Taurica, pestilentia laceratus esse. Tum Mongoli cadavera suorum militum pestiferorum catapultis sacomariis miserunt in oppidum, ubi pestis sine mora etiam floruit. Ergo bellum bacteriologicum non est res vere nova!

ADNOTATIO

¹ Dr P. Caelestis Eichenseer ex officina lexicographica Societatis Latinae Saravipontanae nos monuit haec (ep. 27/11/96): «Trébuchet est machina bellica saeculi tertii decimi: catapulta specialis (fortasse «sacomaria» appellanda). Nomen autem Theodiscum in lexicis non inveni, cum ageretur de machina historica, quae non iam est in usu. Sed inveni haec:




Imago excerpta e manu scripto Arabico



- GAMILLSCHEG, Ernst: Etymologisches Wörterbuch der französischen Sprache. Heidelberg [WINTER] a. 21969, trébuchet «stolpern», «nach vorwärts fallen», 12. Jh. (= saec.) aus *transbūcare = lat. «trans-» et Francice *būk, Nederlandice «buik» = corpus, inde *transbucare ut *transcollare.
- Dictionnaire QUILLET de la langue française. Paris a. 1961, p. 1977: trébuchet [ché], n. ... Au Moyen Age, sorte de catapulte à contrepoids.
- LITTRE, Emile: Dictionnaire de la langue française. Paris [GALLIMARD/HACHETTE] a. 1962, p. 1270: Du Cange, trebuchetum... eqs.

- Le GRAND ROBERT de la langue française. tom. IX, Paris 1989, sub voce «trébuchet»... 3. (Fin. XIII^e). Hist. Machine de guerre à contrepoids, utilisée au moyen âge pour lancer des pierres contre les murailles des fortifications.

- DU CANE: Glossarium mediae et infimae Latinitatis [reimpressum]. Tom. VIII (Graz/Austria a. 1954), p. 162: trebuchetum, trabuchetum, etc. = catapultae species, seu machina grandior ad proiciendos lapides et concutiendos urbium obsessarum muros. (complures loci testes Latini aetatis mediae enumerantur).» ↗



LIBRI LATINI

Achillis quae feruntur astronomica et in Aratum opuscula. De universo. De Arati vita. De phaenomenorum interpretatione, edidit Georgius DI MARIA, Panormi, Annali della Facoltà di Lettere e Filosofia dell'Università di Palermo, Studi e Ricerche n° 27, 1996.

Haec editio critica Achillis Graecorum operum (qui vixit III saec. p.C.n.) est scientissime perfecta et Latine explicata, secundum traditam consuetudinem. Res in dies rarer et eo magis laudanda.

Thomas LINDNER, *Lyra Latina. Carmina LX*, Vindobonae, Eigenverlag des Verbandes der österreichischen Neuphilologen, 1994.

Ubi de carminibus agitur, nihil melius quam exemplum proponere:

...

*Ad astra! somnium fuit ultimum -
Nunc nunc abibo rursus in alteram,
E qua piget fugisse, terram;
Carminibus procul inde vivam.*

OEDIPUS REX STRAVINSCIANUS (1927)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Oedipum in memoriam revocare iuvit; ansam dedit septuagesimus qui revolvebatur annus ex quo drama musicum, quod *Oedipus Rex* inscribitur, in urbe Parisiaca primum est editum. Eiusmodi autem melodramata e duumvirali, ut ita dicam, opere et opera solent conflari; alterius est enim viri materiam subcire, alterius musicis ipsam exornare modulis. Qua in re haud raro fit ut scriptoris nomen obscuretur, perennet ultra saeculi terminos gloria musurgi. Hic vero et libelli auctor et modulator fama atque existimatione pariter gaudent. Non est enim ex infima compositorum classe Ingvarus ille Stravinscius; neque viris litterarum Gallicarum amantibus ignotum est nomen Iohannis Cocteau (1889-1963). His autem duobus accessit tertius Iohannes Daniélou (1905-1974), vir tunc quidem inglorius (Sorbonistas, quos dicunt, Parisiis ea tempestate audiebat), qui musicum libellum, Gallice scriptum, Latine redderet. Idem vir postea nobilitatus est; nam et ad summum dignitatis ecclesiasticae fastigium evectus atque in purpuratorum patrum collegium adscriptus est (anno 1969), et in Academiam Gallicis litteris linguaeque fovendis est cooptatus (anno 1972); accedit hoc quod de christiana doctrinae scriptoribus optime est meritus, quippe qui Bibliothecae, quae *Sources Chrétiennes* inscribitur, in lucem edendae aliquamdiu praefuerit¹.

Scripserit Iosephus Borucki² libellum non ab eo ipso esse conscriptum (quem postea Romana purpura honestatum esse scimus), verum ab illius patruo, cui idem esset praenomen impositum: at nostra quidem opinione libelli scriptor a viro eminentissimo non est secernendus; confirmant hanc quidem sententiam libri docti³, confirmant etiam necrologia quae post Cardinalis mortem in actis diurnis statim sunt divulgata⁴; confirmant denique ipsius viri verba⁵.

Utrum Iohannes iuvenis studiorum universitati addictus in libello e Gallico in Latinum sermonem convertendo liberam adhibuerit paraphrasim, an verba verbis reddenda fuerint, non constat, quia textus primigenius non iam extare videtur. Nos tamen licentias, si quae irrepserunt, admodum paucas fuisse autumamus; quod ex eo patet, quod etiamnunc extat tragedia de Oedipo Gallica, quam eadem fere tempestate conscripsit Iohannes Coc-

teau⁶, cuius verba ad Latinam libelli formam proxime interdum accedunt. Habet enim, ut exempla nonnulla ponam, tragoedia Gallica haec: «Comme un oiseau bien ailé le mal s'élance et les funérailles se suivent, et les cadavres s'accumulent sans tombe.» Libello autem Latino insunt verba haec:

Ut preeceps ales ruit malum
et premitur funere funus⁷
et corporibus corpora inhumata.

Item Gallicis verbis «Combien l'envie déteste la fortune» Latina haec respondent saepe iterata:

Invidia fortunam odit,

uti sententia hac «La tête divine de Jocaste est morte» idem enuntiatur atque «Divum Jocastae caput mortuum!». Inde factum puto, ut ipse Cocteau, in emissione quadam radiophonica interrogatus (a. 1951) quam ob causam Oedipum Latine conscripsisset, Stravinsciū rei auctorem fuisse responderit⁸, se libellum Latine exaravisse non negarit! Atqui constat Stravinscio diu arrisisse consilium melodramatis Latini modulate scribendi, quippe qui haec ad Cocteauum amicum⁹: «Iamdudum mihi in animo est fabulam ex antiquis petitam, quippe cuius argumentum omnibus sit notum, musicis illigare modis; libellum autem, ut tibi nuper coram proposui, tibi credere cupio qui conscribas.»

Libellus ergo ipse, ut dignus esset qui cognosceretur, immortalem tamen non esset consecutus gloriam, si Stravinsciana musica non esset exornatus. Nam etiam si legentium ille animos haud raro rapit, aliquot tamen naevis aliquatenus deturpatur. Mittam quod verba metris sunt soluta, mittam quod versus (si versus sunt appellandi) in similes non desinunt sonos; at Latinitas ipsa dubia mihi interdum esse videtur. Qua in re ne interpreti vitio verterem quod editoris nescio cuius culpa esset admissum, duas contuli editiones¹⁰; quas parum inter se distare animadverte. In altero autem libello¹¹ pro littera c (praesertim intervocali) littera k identidem scribitur («fakiendum», «ulkiski», et ita porro); non me maximo opere movet haec res, quae, sive ab interprete Latino est admissa, sive a Cocteau introducta, ad austeros cives lacessendos in textum recepta videtur esse. Maiora sunt notanda. Nam Creo, cum in scaenam primum prodivisset,



Ab obliuione vindicetur ...

ita salutatus est:

Vale, Creo! Audimus.
Vale, Creo! Kito, kito.
Audituri te salutant.

Non me fugit lusus, qui ultimo inest versiculo, at cur «vale» scripsit ille? Cur nuntius rarius «nuntius», saepius «nuntio» dicitur? An extare nomen nuntionis opinatus est Daniélou? Cur interdum «Thebae» recte scribuntur, interdum «Theba» («Theba peste moritur») singulari numero? Leguntur et alia vocabula vel dubiae Latinitatis, vel vitanda, ut «effodire» (pro *effodere*), «detestare» (pro *detestari*), «ellum» (ubi *eccum* praestabat). Exclamavit aliquando Oedipus:

Genus Oedipodis skiam,
genus exulis mei.
Ego exul exsulto:

ultimus hic versiculus non est invenustus, at «genus exulis mei» (pro *genus meum exulis*) probare vix possum¹².

Extrema autem fabula infinitivi historici sive narrativi acervatim adsunt; quorum alii placent:

Mulier in vestibulo
comas lakerare.
Claustris occludere fores,
occludere, exclamare.
Et Oedipus irrumpere,
irrumpere et pulsare,
et Oedipus pulsare, ululare,

quod ipsis sonis vigor inest et vis; alii vero minus placent:

Et Oedipus praekeps ruens
illam [locastam] exsolvebat, illam collocabat;
illam exsolvere, illam collocare.
Et aurea fibula et avulsa fibula
oculos effodire;
ater sanguis rigare.

Nil ergo mirum, si libelli Latini interpretes in convertendis verbis aut haesitarunt aut etiam errarunt. Nam Eduardus ille E. Cummings (1894-1962), poeta Americanus septentrionalis, qui Latina Anglice fecit, sententias nonnullas perperam intellexisse mihi videtur. Exemplum afferam, ut rem probem. Creo, peste saeviente, postquam oraculum consuluit, Apollinis dei responsum choro Thebano et regi patefacit:

Thebis peremptor latet.
Latet peremptor regis,
reperi opus istum;
luere Thebas,
Thebas a labe luere,
kaedem regis ulkiski,
regis Laii perempti¹³,
Thebis peremptor latet.
Opus istum reperi,
quem depelli deus jubet.
Peste infikit Thebas,
Apollo dixit deus.

Respondet chorus:

Deus dixit, tibi dixit.

Tunc Oedipus:

Tibi dixit.
Mihi debet se dedere.
Opus vos istum deferre.

Quae ita reddidit Cummingius:

«He has spoken to you.
You must have faith in me.
I promise to carry out this task.»

Quid vero sibi vult haec sententia: «Mihi debet se dedere; opus vos istum deferre? Nisi fallor, agitur de scelesto peremptore civibus Thebanis investigando et coram Oedipo sistendo. Ergo ita fere Anglice vertenda erant verba: «He has spoken to you. To me the murderer must surrender. You should bring him to me.» Item locus est vexatissimus ab interpretibusque parum perspectus hic:

advenit pastor arcana proditurus narraturusque qui parentes Oedipi sint; horret chorus et infit:

Reskiturus sum monstrum,
monstrum reskiskam.
Deo claro Oedipus natus est,
deo et nympha montium
in quibus repertus est.

Tum pastor:

Oportebat takere, nunquam loqui.
Sane repperit parvulum Oedipoda.
A patre, a matre
in monte derelictum
pedes laqueis foratum.
Utinam ne dikeres¹⁴:
hoc semper kelandum
inventum esse in monte
derelictum parvulum,
parvum Oedipoda,
in monte derelictum.
Oportebat takere, nunquam loqui.

Tunc Oedipus:

Nonne monstrum rescituri
quis Oedipus, genus Oedipodis sciام.
Pudet Jocastam, fugit.
Pudet Oedipi exulis,
pudet Oedipodis generis.
Skiam Oedipodis genus,
genus meum skiam.

Difficultas inest verbis his: «Nonne monstrum rescituri/ quis Oedipus, genus Oedipodis sciام», quorum intellectus interpretes fugisse videtur. Cunningius enim haec: «If the marvel be not revealed, I shall find out Oedipus' lineage»; interpres autem Gallicus: «Elle n'est pas monstreuse, ton histoire. Je veux savoir qui est Oedipe et de quelle origine»; Theodiscus: «Nicht Ungeheuerliches werdet ihr erfahren. Wer Oedipus ist und welcher Herkunft, will ich wissen».

Desideratur autem ut saepius, ita et hic interpunctio; legamus oportet: «Nonne monstrum, chori canentes, rescituri eratis? Ego vero genus meum mox noscam; vos nihil inibi monstri reperietis!»¹

Restat ut locum e libello selectum subiungam; tibi, cum legeris, diiudicandum erit venustus sit an rudis.

Tiresias

Miserande, dico,
quod me accusas, dico.
Dicam quod dixit deus;
nullum dictum kelabo;
inter vos peremptor est,
apud vos peremptor est,
cum vobis, vobiscum est.
Regis est rex peremptor,
rex kekidit Laium,
rex kekidit regem,
deus regem accusat;
peremptor rex!
Opus Thebis pelli regem.
Rex skelestus urbem foedat,
rex peremptor regis est.

Oedipus

Invidia fortunam odit,
creavistis me regem.
Servavi vos carminibus
et creavistis me regem.
Solvendum carmen,
cui erat solvendum?
Tibi, homo clare, vates;
a me solutum est
et creavistis me regem.
Invidia fortunam odit.
Nunc, vult quidam munus meum,
Creo vult munus regis.
Stipend<i>arius es]t!, Tiresia!
Hoc fakinus ego solvo!
Creo vult rex fieri,
quis liberavit vos carminibus?
Amiki! Eg' Oedipus clarus, ego.
Invidia fortunam odit.
Volunt regem perire,
vestrum regem perire,
clarum Oedipodem, vestrum regem¹⁵.

ADNOTATIONES

¹ Consulas etiam C. Kannengiesser, 'Bibliographie patristique du Cardinal Jean Daniélou', in J. Fontaine - C. Kannengiesser (edd.), *Epektasis. Mélanges patristiques offerts au Cardinal Jean Daniélou* (s.l., 1972), pp. 673-689.

² Latein im 20. Jahrhundert, Aschendorffs Lesehefte (Monasterii, 1981), pp. 21-25 (p. 21: «... den

lateinischen Text hat Jean Daniélou verfasst, der Onkel des gleichnamigen späteren Kardinals»).

³ Vide sis D. Möller, *Jean Cocteau und Igor Strawinsky. Untersuchungen zur Ästhetik und zu 'Oedipus Rex'*, Hamburger Beiträge zur Musikwissenschaft, 24 (Hamburgi, 1981); S. Walsh, *Stravinsky: Oedipus Rex*, Cambridge Music Handbooks (Cantabrigiae, 1993), pp. 99-100.

⁴ Vide sis acta diurna, quae *Le Monde* inscribuntur, 31 (1974), num. 9128 (die 22 m. Maii a. 1974), pp. 1 et 15; in quibus legitur commentatiuncula cui est titulus «Une courte carrière d'académicien» quaeque inter alia haec habet verba: «auteur du texte latin d'Oedipus Rex, de Stravinsky».

⁵ Consulas J. Daniélou, *Et qui est mon prochain? Mémoires* (Parisiis, 1974), p. 62: «J'ai connu Jacques Maritain, ce qui est étrange, grâce à Jean Cocteau. Pendant que je préparais ma licence, je m'étais lié avec le cinéaste Jean Aurenche, un ami de Jean Cocteau qui préparait alors *Oedipus Rex* avec Stravinsky. Ce dernier voulant un texte latin, Aurenche m'avait indiqué à Cocteau comme susceptible de faire la traduction. Jean Cocteau m'expédiait de Villefranche, par exprès, sur papier rose, son texte que je lui renvoyais très rapidement. Il m'a toujours témoigné beaucoup d'amitié et, si je ne me sentais guère d'affinités avec lui, j'ai beaucoup apprécié ses écrits.»

⁶ J. Cocteau, *Oedipe-Roi. Roméo et Juliette*, Le rosee d'or (Parisiis, 1928), pp. 3-48.

⁷ Cfr. SEN. *Oed.* 131-132: Stat gravis strages premiturque iuncto/ funere funus.

⁸ Vide sis J. Cocteau, *Entretiens avec André Fraigneau*, Bibliothèque 10 18 (s.l., 1965), pp. 50-51.

⁹ Ex Stravinskii epistola ad Cocteauum data (m. Oct. a. 1925). Vide sis J. Cocteau, *Selected Correspondence*, I. Edited and with Commentaries by R. Craft (Londini, 1982), pp. 94-95.

¹⁰ S. Walsh, o.c., pp. 79-91; vide etiam discum compactum 'Philips' num. 438 865-2, cui subiunctus est libellus textualis («Igor Strawinsky 1882-1971, Oedipus Rex. Opera-oratorio in two acts. Poem after Sophocles by Jean Cocteau. Latin translation: Jean Daniélou»). Symphoniacos («Saito Kinen Orchestra») moderatus est Seiji Ozawa. Uterque textus paragrammatis aliquatenus deturpatur; nam Walshianus habet, ut alia mittam «Creone commoretur» (pro *Creo ne commoretur*); uterque vero «stipendarius» pro stipendiario; ceterum Walshianus exhibet «stipendarius est,

Tiresia» pro «stipendiarius es, Tiresia».

¹¹ Walshii.

¹² Sat duri et obscuri hi quoque versus mihi esse videntur: «Gloria! / Laudibus regina Jocasta/ in pestilentibus Thebis./ Laudibus regina nostra.» Quid sibi vult «laudibus»? Subaudiendum puto vel «ornetur» vel nescio quid simile. Ceterum id notandum, quod nominis *Oedipi* formae indiscretim et mixtim ad declinationem alteram Latinam et ad Graecanicam referuntur. Ego vero maluerim vocativum «*Oedipe*» pro «*Oedipus*».

¹³ Cfr. SEN. *Oed.* 217-218: Caedem expiari regiam exilio deus/ et interemptum Laium ulcisci iubet.

¹⁴ = *dixisses*.

¹⁵ De Oedipo Stravinsciano consulas etiam W. Schubert, 'Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat', in S. Albert, J. Kramer, W. Schweickard (edd.), *Miscellanea ad linguam Latinam linguasque recentiores attinentia*, Romania occidentalis, 26 (Veitshöchheim, 1994), pp. 151-162 (pp. 156-159). ↗

DE ITINERE UNDECIM URBIUM

MENSE JANUARIO NARRAVIT LEO STOELINGA


In Frisia, quae est provincia septentrionalis Nederlandiae, die Saturni proximo, die quarto huius mensis «iter undecim urbium» fiet. Quod est iter non per vias, sed per glaciem lacuum, canarium, fossarum factum. Paene viginti milia patinatorum hoc iter ducentorum chiliometrorum uno die facient per undecim urbes Frisiae. (*patinator*: is, qui patinat. *patinare*: currere supra glaciem patinis sub pedibus affixis. *patinus*: calceus, subter quem lamen ferreum vel, melius, lamen chalybeum affixum est. vide C. Eichenseer, *Latinitas Viva* (1982²), pars lexicalis, p.203). Omnes qui iter perfecerint, nomisma memoriale accipient. Qui primi ad finem pervenerint, pretia accipient. Non omnibus qui cupiunt, licet hoc iter facere. Sed tantum iis licet, qui sunt «sodales itineris XI urbium». Et numerus sodalium fixus est ad viginti milia.

Non unoquoque hieme hoc iter fit. Nam ut hoc iter fieri possit, hiems durissima necessaria est, ut hoc anno est hiems durissima. Ultimum iter undecim urbium fuit anno 1986.

Hodie hora undecima «magistri glaciales itineris undecim urbium» constituerunt die Saturni proximo iter fore. Paucis horis post in omnibus deversoriis in Frisia omnes lecti erant praenotati. Non iam unus lectus est liber.

Hactenus sub aliquibus pontibus crusta glacialis hactenus parum dura est, non satis

spissa. Etiam sunt loca, ubi multae aves aquatiles congregatae sunt. Quae indesinenter pedestibus movendis prohibuerunt, quin aqua frigore concresceret. In eis locis, non paucis, hodie fragmenta crustae glacialis «transplantantur», id est, inse-runtur, quae viri strenui ex aliis propinquis locis serraverunt. Eo modo fiet, ut post duas noctes frigoris duri in eis locis glacies satis firma futura sit.



Cras, die quarto m. Ianuar., hora quinta et dimidia, primi patinatores ab urbe Leovardia, (nederlandice: Leeuwarden; frisice: Ljouwert) capite Frisiae, initium itineris XI urbium facient. Primam partem itineris per obscuram noctem facient. Nam

*
* *

his diebus hora octava lux fit, et sol oritur hora 8.45.

Primi patinatores post septem horas in eandem urbem ad finem exspectabuntur. Ultimi circa mediam noctem. Omnes qui ante mediam noctem ad finem pervenerint, nomisma memoriale accipient.

Multa milia patinatorum lectum in deversoriis non iam invenire potuerunt. Indicem sive catalogum telephonicum urbis Leovardiae manu sumpserunt et arbitrarie aliquem numerum alicuius civis ignoti selegerunt et petiverunt, ut per unam noctem sibi lectus aut locus dormiendi concederetur.

500.000 spectatores ex aliis provinciis exspectantur. 2000 diurnarii, qui de «itinere itinerum» referent, iam adsunt. Statio televisifica nationalis totam rem per totum diem sine ulla interruptione emittet et 400 viros rei peritos, qui imagines itineris 70 cameris televisificis excipient, iam ad Frisiā misit.

Ultimum iter fuit anno 1986, ut iam scripsi. Tunc temporis hora quinta, id est paene media nocte, iam 2.900.000 ex omnibus (15.000.000) Nederlandis ante instrumentum televisificum sedebant, ut saltem si non corpore, animo interessent.

Nos, ego et Bella, uxor mea, cras emisiones televisificas spectabimus. Et Bella quidem, quam ipsam patinare iuvat, ab initio. Mature ergo cubitum ire debemus.

De tempestate. Medici, meteorologici et rei patinatoriae periti monent, ut patinatores et spectatores frigus extremum et durissimum ventum caveant. Periculum est, ne frigore auriculae, aures, nasus, labia, oculi, digitū manuum et pedum et etiam membra genitalia frigore ita afficiantur, ut deperdita sint habenda. Spectatores, qui se non movent, hypothermosim cavere debent.

Transplantatio crustarum glacialium heri facta prospere successit. Tamen restant nonnulla loca, ubi periculum est, ne patinatores per frangibilem glaciem demergantur. In ripa aut crepidine, quae

est secundum ea loca, terra strata est tapetibus longis aut multis tabulis ligneis inter se coniunctis, quae, si necesse est, usque ad spatiū trecentorum metrorum aut plus extenduntur. Ad talia loca, ubi crusta glacialis nimis tenuis est, patinatores a glacie ad terram transgrediuntur et per tapetia aut tabulas currunt modo singulari, quod verbum movendi lingua Frisica «klunen» vocatur, id est, patinis sub pedibus affixis per terram currere.

*
* *

Hodie hora quinta et dimidia iter XI urbium initium cepit. Prima pars itineris fuit perdifficilis.

Fuerunt tenebrae noctis usque ad horam octavam. Nulla lux lunae erat, neque lumen electricum. Paene omnes semel vel plures propter rimas, quae in glacie sunt, ceciderunt. Insuper non tantum est frigus quattuor graduum Celsianorum sed etiam est ventus vehemens gradus sexti Beaufortiani. Nonnulli in cursu praescripto inveniendo propter tenebras erraverunt.

Olim non numquam factum est, ut quidam patinatores consulto et clam iter brevius sibi fecerint aut per viam compendiariam aut auxilio amicorum, qui eos autocinetō celerrime


ad alium locum transportaverunt. Propterea sunt decem stationes sigillatoria, ubi patinatores sistere debent, ut viri sigillatorii eis sigillum in chartis participationis imprimant.

Innumera milia spectatorum patinatores magnis clamoribus, plausu ingenti, cantilenis cantandis exhortantur. In unaquaque urbe et unoquoque vico unus aut plures greges musicorum, qui instrumentis varii generis ludunt vel canunt, eo modo patinatoribus animum addunt, et item spectatoribus animum recreantes. Propter frigus spectatorēs per totum diem salire aut saltare et manus mouere et vocem exercere debent. Hanc totam rem Bella, uxor mea, iam ab hora quinta ante instrumentum televisificum




sedens spectat. Ex trirotis automatariis, ex helicopteris, ex pontibus, ex crepidinibus et aliis locis imagines televisificae emittuntur. Interim primus patinator ad finem pervenit post horas sex minutus undequinquaginta, hora duodecima minuta undevicesima. Nomen ei est Henk Angenent. Piet Kleine, qui tertius ad finem pervenit, neque pretium neque nomisma memoriale accepit, quia inconsulto, id quod etiam omnes spectatores televisionales animadverterant, praeter unam stationem sigillatoriam praetercurrerat omisso sigillo. Prima patinatrix ad finem pervenit post horas septem minutus quinquaginta. Nomen ei est Klassina Seinstra.

Multa milia participantium nunc medio in cursu sunt. Multi iam sunt valde fatigati. Propterea spectatores iam clamoribus maioribus, cantilenis altiore voce cantandis, manibus vehementissime plaudentes animos patinatoribus addunt. Omnes participes quasi heroes acclamat. Hoc durabit usque ad medium noctem. Certe non omnes ad finem pervenient. Multis vires iam deficere incipiunt. Sed multis spectatoribus et



participantibus hic dies est dies iucundissimus vitae, ut ipse iam declaraverunt.

Haec fuerunt quae de itinere XI urbium referre volebam. ↗



DE LIBRIS LATINIS EDENDIS

Lectoribus, qui post Melissam 75 lectam nobis rescripserunt se libros Latinos emere velle, gratias agimus plurimas. Infeliciter non sunt - longe abest - satis multi ut difficilis quaestio pecuniae solvatur. Nihilominus id faciemus, quod poterimus, cum editio librorum Latinorum maxime pertineat ad nostrum scopum.

Ecce iam initium: lectoribus mox proponemus novam seriem, non librorum, sed libellorum, quibus neque erunt multae paginae, neque lauta charta, ita ut quam plurimi homines possint res Latinas parvo pretio legere. Titulus generalis: «Libelluli». Primus in lucem edetur Iohannis van KASTEEL *Servii grammatici in Vergili Bucolicon primum commentarius*. Qui est textus acroasis factae in Domo Latina die 18 m. Ianuarii a. 1997.



MUSA LATINA

Amicus noster idemque unus e Fundationis Melissae patronis, Arituneus Mizuno professor Kiotensis, hoc carmen ad nos misit. In titulo iam apparet quaedam tristitia cum bona valetudine infeliciter non fruatur. Utinam res melioretur viresque ei dentur necessariae ad conventum Latinum in Finnia participandum.

Adnotatio poetae: verbum «valeatis» (v. 9) dicitur ex ambiguo: altera ex parte vi salutatoria, altera i.q. «possitis».

VALEDICTIO (?)

Virginum candor simul et dearum
sanguis in terra, mihi te tuenti,
quod notavisti, totiens uenuste et
reddis amice.

iam sed ablata celebri iuuenta,
quin et auersis Heliconis auris
desinam Musae sacra ferre puluis
canus et umbra.

at precor cari ualeatis aequum
nec minus carae: dea si uocarit,
candidus marmor Cycladon uidebo
cycnus Olympi.

CECINIT K. IAN. A.V.C. MMDCL
ARITVNEVS MIZVNO

*Ecce de Sancto Nicolao
iucundissima cantilena missa a
Roberto Demol, qui talia multa
novit.*

Veni ad spectandum
ea quae hic invenio
omnia accepta Nicolai io
veste stricta pupam ilam
ac crinibus nexit etiam
tres pilas illaqueatas
et dulcia et matteas
veni ad spectandum
ea quae hic invenio
omnia accepta Nicolai io

*Hoc Estoniense carmen patrioticum in Latinum
versum est a Viaceslavo Hromon.*

Mea patria amoena
ubi natus sum
temet amo valde
et semper laudo te

Nec cupresus, nec palmae
nec terra tua sunt,
tamen crescent pinus
et pulchrae betulae.

Non sunt hic argentum
et aurum apud nos,
sed tamen bona humus
ubique satis est.

O floreat diu
Estonia mea,
ubi populus audax
et spei plenus est.

Estonia mea,
amabilis lux,
tuus filius fidelis
donec ego moriar.



LATINITAS PROCEDIT

Incredibile sed verum! Id quod multi alii frustra temptaverunt, amicus noster Victorius Ciarrocchi effecit. Valuit enim diurnariis Bononiensibus persuadere, ut in suis actis diurnis q.t. «Il Resto del Carlino» proponerent rubricam Latinam; quod



Latine scribendi munus hoc suscipio - haud facile sane onus et exiguis ingenii mei viribus praegrade - propterea quod ea est Romanorum sermonis praestantia, ut nostris quoque temporibus omnia Latine dici possint. Neque enim desunt qui, hac lingua usi, de multis rebus hodie scribant atque etiam loquantur. Utinam hanc facultatem, lector benevole, qui fortasse subridens haec legeris, tu quoque experiaris! Nolim tamen hoc adroganter dictum existimes, quin immo te oro amantissimeque obsecro ne mihi succenseas et irascaris si quid mendosum in his narratiunculis deprehenderis. Restat ut quam plurimas agam gratias huius diarii moderatori, qui hoc amplio honore me afficere dignatus est. Omnes praeterea diurnarios opificesque salvere iubeo, quorum opera atque adsiduo labore cuiusquemodi nuntios, has per paginas vulgatos, cottidie legere possumus.

[Il Resto del Carlino (scuola), 19 Nov. 1996]

fecerunt magno titulo Italice clamantes: «Nasce una rubrica per la lingua di Cicerone che torna di moda». Idem Victorius est in Interreti valde strenuus (vide infra). Duas symbolas subiungimus in his actis iam editas:

De rebus Balcanicis - Res eorum populorum, qui foederatam Rem publicam Jugoslavicam olim constituerunt, tam implicitae sunt nodis, ut omnes pacis componendae conatus in irritum cadere videantur. Per quattuor enim annos illud Bosniacos inter et Serbos exarsit bellum, quod caedibus atrox et sceleribus in homines, in mulieres, in pueros ipsos admissis nefandum fuit. Has ob causas Hagae («L'Aia») collegium delectorum iudicum iam pridem constitutum est, ut milites, qui eo in bello turpium criminum noxii fuissent, in ius vocarentur atque horum flagitiorum iustas debitasper poenas penderent. Quod - si Norimbergense iudicium excipias, quo duodecim Hitleriani regiminis praepositi morte sunt damnati - post alterum bellum mundanum (vel pánkosmum) numquam acciderat. Iis igitur tumultibus, qui Singiduni («Belgrado») nuper concitati sunt, ignis Balcanicus cineribus abditus iterum aestuare videtur. Quae flamma ut opprimatur, obstant linguae, consuetudines, religiones maximeque earum gentium historia, cuius cognitio et contemplatio ad populorum indolem atque mores penitus intellegendos plurimi sunt facienda.

[Il Resto del Carlino (scuola), 14 Ian. 1996]

QUID VIDENDUM SIT IN INTERRETI

Interrete est res ingens: hoc est et emolumentum et problema. Nam diu est ambulandum in hac silva informationum, antequam aliquid invenimus. Nonnulli Latinistae nos benigne monuerunt de inscriptionibus, quibus Latinitas coleretur. Ecce vobis:

- Grex Latine loquentium: LATINE@PLEARN.EDU.PL
- Lexicon Latinum Latine explicatum: http://www2.dk-online.dk/users/Christ_H/Latin/saxo.html
- Aspectus rerum Latinarum: <http://www.fcps.k12.va.us:80/DIS/OHSICS/forlang/latin.htm>
- Pagina Latina Victorii Chiarrocchi: <http://www.pesaro.com/latino>
- Universitas Kentuckiensis: <http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/>
- Id. (Terentius Tunberg): <http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/latcolloq.html>
- Nuntii Latini (radiophonia Finnica): <http://www.yle.fi/fbc/nuntii.html>
<http://www.yle.fi/fbc/latini.html>

... Et multa alia, sine dubio!



LATINE LOQUI ...

SEMINARIA SOCIETATIS LATINAЕ

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

Geldoniae (Jodoigne) in Belgica a die 17 in diem 24 mensis Augusti a. 1997

Scribatis ad: Gaium Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 27 mensis Iulii in diem 2 mensis Augusti a. 1997

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
D-66041 Saarbrücken

FERIAE LATINAЕ

Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 24 in diem 31 mensis Augusti a. 1997

Scribatis ad: Clementem Desessard
Résidence des Collines, C9
500, rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Amoeneburgi (Amöneburg) in Germania a die 27 m. Iulii in diem 2 m. Augusti a. 1997

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser
Kleeberger Strasse, 40
D-35510 Butzbach

NONUS CONVENTUS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Granivici (Jyväskylä) in Finnia a die 6 in diem 13 m. Augusti a. 1997

Scribatis ad: Congressus ALF secretariatum
P.O. Box 35
SF-40351 Jyväskylä

IN AMERICA

Conventiculus Latinus

Lexintoniae (Lexington) in Kentuckia a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1997

Scribatis ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky
Lexington KY, U.S.A (clatot@pop.uky.edu)

SEMINARIUM IULIACENSE DE PETRONII CENA TRIMALCHIONIS

Iuliaci (Jülich) in Germania diebus 1 et 2 m. Martii a. 1997

Scribatis ad: Ingam PESELLA
Nordstrasse, 39
D-59174 Kamen

SYMPOSIUM LATINUM ACADEMIAE SCIENTIARUM MARINIANAE

Arimini (Rimini) in Italia a die 1 in diem 5 m. Septembris a. 1997

Scribatis ad: Veram Barandovska
Kleinenberger Weg, 16
D-33100 Paderborn